



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 23. De naturali actione ad tex. com. 52.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

nutritur circa nutrimentum agit. Non patitur autem A
alium ab alimento, quia non mutatur. Sicut res patitur
à fabro, dum ab eo alijs atq. alijs modis mutatur, vt
ex eo quodpiam opus ex arte faciat: non item pati-
tur faber aut mutatur ab aere. Nisi ea intelligatur
mutatio, qua ex non operante fit operans, & ex
potestate in actum, atque ex otio ad negotium
transit. Verum dum ita mutatur, non patitur ab aere;
sed ipsemet ex electione incipit operari, cum an-
tea esset otiosus: qua mutatio perficiens est.

Et idem Philoponus hoc exemplo significari dixit,
in nutritione alimenti quidem mutationem fieri,
sed quamuis alteretur & corrumpatur alimentum,
perficientem tamen mutationem esse; quoniam
ad perfectiorem viuentem formam mutatur. Et
Simplicius mutationem esse dixit, non per passio-
nem, sed per actionem: qua nullo forinsecus im-
pellente, sed seipsa excitatur anima ad agendum.
Atque hoc est, quod loquebantur Platonicus, ani-
mam mouere seipsam; ex otio scilicet ad opera-
tionem se excitando.

*Num
alium ab
alimento
patitur.*

Illud maiorem videtur habere difficultatem,
quod additur; alium ab alimento non pati. Et-
enim contraria eam vim habent, qua vicissim
agant & patiuntur: omnéque agens, quod com-
munem habet cum patiente materiam, agendo
patitur. Itaque dum viuens agit in alimentum sibi
contrarium, ab eo vicissim patitur necesse est.
Ita sanè res habet; & in tex. 33. prioris libri de ortu
& interitu facitur idem Philosophus cibum in-
quiens & pati & agere. Eamque ob causam na-
turus calor in viuentibus debilitatur subinde ac mi-
nuitur: neque potest tam copiose & largè post ali-
quor annos nutrire. Ac primum quidem accretio
cessat, tum decretio quoque & mors subsequun-
tur. Præsertim vero frangitur calor & hebetatur
durioribus ac frigidioribus cibis, & quibusdam
largius sumptis prorsus obruitur. Id tamen solum
quod alitur, dicitur agere, non alimentum. Tum
quia id, quod alitur, rationem habet formæ,
alimentum materia: actioque est formæ, passio
materia. Tum quia quod nutritur, permanet
idem secundum formam, alimentum mutatur:
illud patitur quidem quo ad mutationem aliquam, at
non quo ad mutatum esse; quia ad naturam suam at-
rinet: hoc esse etiam quo ad mutatum esse, dum in
illius naturam mutatur. Tum etiam quia aliti
actio est euidens & cum victoria; qua tandem su-
peratur alimentum & ad illius naturam trahitur.
Tum demum quia etsi ratione qualitatum mutua
fit actio & passio, ratione tamen substantiæ, in qua
uis actione nutritionis consistit, alimentum patitur
& mutatur à viuente, non viuens ab alimento; at-
que ita ex alimenti substantia viuentis substantia
reparatur.

Quo circa actionis nomine assimilationem hoc
loco intelligas. Agit inquam viuens in alimentum,
non alimentum in viuens; quoniam alimentum vi-
uenti assimilatur atque in illud mutatur; non con-
trà: neque in illud agere dicitur, actione illa, quæ est
cum victoria: alioqui actione quævis alibi cibum
dixit & pati & agere.

*Digestio XXIII. De Na-
turali actione.*

Quæ in his Philosophus de nutritione dixit,
alibi vniuersè magis de actione omni disputauit:
paucaque illius verba longioris nobis orationis oc-
casione præbent. Ea duo habebit capita alterum
de actionis obiecto alterum de illius conditionibus
& modo. Nam & quæsiuit Philosophus, num
simile agat in simile: & occasione querendi de-
dit, an omne, quod agit, agendo patiatur.

Ergo is in prioribus libro de ortu & interitu à tex.
46. & deinceps, duabus reiectis antiquorum sen-
tentijs; quorum aliqui nullam dixerant inter similia
versari actionem posse: alij non nisi inter hæc eam
esse contenderant: medium inter extrema sequu-
tus, & neque inter omnino simile esse constituit,
quoniam idem ageret & pareretur: neque inter
penitus dissimilia; quia hæc se se mutuo non expel-
lunt. Sed solum inter contraria; quæ specie dis-
similia, genere similia sunt. Etenim actio & pas-
sio hoc nomine distingui videntur; quod cum
passio sit formalis ratio, qua forma quæpiam susci-
piatur in aliquo, qua formaliter nominat patientem
ad rationem item eius formalem pertinet, vt in
patientem sit velut in subiecto; neque patiatur
quidpiam passione, quæ sit in alio. At actio, cum
sit potius formalis ratio, qua exit quidpiam ab ali-
quo (formam enim significat vt ab agente proficiat
eius) non postulat intrinsecè, vt sit in agente;
sed vt exeat ab eo. Immo transientes omnes actio-
nes propterea hoc appellantur nomina, quod in
alio suscipiantur ab agente distincto. Planè que ac-
cidentarium est, vt immanentes aliqua actiones
hanc ob causam dictæ in ipso sint agente, à quo
deriuantur. Quoniam ne hæc quidem in eo sunt, vt
agens est; sed vt patientis quoque vim & ratio-
nem subit. Quò fit, vt idem sit passiois subie-
ctum, cui inhaereat; & obiectum, circa quod
versetur. In actione autem hæc distingui debent:
quamuis in transiente reperiantur in eodem, in
immanente in diuersis. Quippe subiectum est
ipsum agens & obiectum extrinsecum quidpiam;
vt in locali motu sensuumque operationibus peri-
picuum est. Actio enim transiens circa obiectum
aliquod transmutandum versatur: & ideo obie-
ctum oportet etiam esse subiectum. Immanens
non obiecti sui transmutationem, sed agentis per-
fectionem significat: & ideo subiectum habet ab
obiecto diuersum. Cum igitur in actionibus pluri-
mis constet hæc tria distingui, agens, subiectum,
& obiectum actionis: in permixtis etiam agens
& subiectum esse idem, obiectum distingui: super-
est videre, num possint interdum hæc tria coinci-
dere; sitque aliquid, quod non modo actionem
suam suscipiat, sed eius etiam obiectum sit, agat-
que in seipsum vt actionis suæ obiectum.

Scotus in 1. sent. distin. 3. q. 7. & in 2. distin. 1. q.
10. fieri posse dixit, neque ipsa fieri in homonymo-
rum agentium actionibus; vt in intellectione, vo-
litione, lenium & grauium motu. Alij hæc ita esse
confirmit: & in corruptente quidem actione
haud posse quidquam directè agere in seipsum,
posse tamen actione reflexa, quæ ex anticipati
occurrit.

oriatur. Præter qualitates enim reales agens inquit diffundere per medium qualitates intentionales, quæ si contrarium inuenierit, ad proprium subiectum redeant, atque in illud vehementius agant.

Ceterum intentionales hæc qualitates in tactilibus à plurimis non admittunt mihi verò nulla per eas videtur fieri posse actio. Tum quia eas ex vno in aliud subiectum migrare ac per se moueri oporteret. Tum quia nequeunt intentionales qualitates producere reales. Illud iudicio firmum esse debere; posse actione quacumque idem per partes in seipsum agere. Tum in generatione substantiæ qua in viuentium nutritione idem quodam modo se ipsum gignit aut corrumpit. Tum in alteratione, qua cor ceteras corporis partes calefacit, vnaque pars calida aut frigida calefacere aliam aut refrigerare potest. Tum in accretione, qua idem ratione diuersarum alimentorum partium accedentium seipsum auget. Ac deprim in motu locali. Etenim in animalibus vna pars aliam mouet, & cor reliquas omnes.

Certum quoque sit, posse idem ex accidente in seipsum agere. Anima enim dum corpus impellit, se ipsam quoque ex accidente mouet.

An verò primo & per se totum agere possit & pati sanè id ita fieri nequit, videm eadem ratione acceptam & agere, & patiatur. Tum quia agens & patiens oppositas rationes significant. Tum quia actio sit, vt aliquid est actus; & passio, vt est potestate; neque potest idem comparatione eiusdem esse simul actus & potestate. Quod fortasse Philosophus voluit in 7. & 8. Physic. cum tories dixit, non posse idem mouere se ipsum; vt colliges maxime ex tex. 38. & 40. libri 8.

Quod si alia atque alia sit agendi & patiendi ratio, nullam inuoluit contradictionem: quin aliqua sunt eiusmodi; vt cum separate mentes seipsas intelligunt. Etsi enim in synonymis actionibus nequeat idem esse actus & potestate, quia comparatione eiusdem esset, & non esset, haberet & non haberet actum, qui producitur: in homonymis tamen quibusdam, vt cum intellectus, leuitas, aut grauitas, non intellectum, leuitatem, aut grauitatem; sed intellectionem, motumque sursum aut deorsum producit; id esse potest. Quoniam agens est actus primo, & potestate ad actum secundum, rationeque actus est agens, & ratione potestatis patiens seu actionis obiectum.

Sed sciendum est, virtutem quamlibet materialem & quantam, quod corpori & quantitati alligata sit; imperfectiorem multò esse, quam sit virtus immaterialis & à quantitate abiuncta. Illa nequit se in seipsam conuertere, neque oculus se ipsum videt, nec auditus audit. Hæc libera prorsus est, & quo magis immaterialis & abstracta, eo liberior & perfectior. Intellectus potest seipsum intelligere, & quo magis à materia remotus, eo facilius id præstat. Separate mentes actione directa se ipsas intelligunt, intellectus noster, dum in hoc corpore commoratur, non nisi reflexè. Vt verè in Phædro pronuntiatum fuerit à Platone, nihil esse difficilius, quam animam à phantasmate separare. Ex eo tamen, quod in se ipsum redit, probant, tum ipse, tum Proclus, eum non esse corpus: quoniam nullum corpus potest in se ipsum redire, quod quantitas, quæ in ratione partium

A extra patres consistit, id non permittat. Itaque nullum agens corporeum & quantum potest primo & per se in se ipsum agere; siue seipsum gignendo aut interimendo, quia idem comparatione eiusdem simul esset & non esset: siue augendo & minuendo: siue motu de loco ad locum; vt in 7. & 8. Physic. demonstratur: siue demum alterando. Tum quia nulla esset qualitas summè intensa: sed quod aliquam habet, posset in se ipsum agendo intensiorem semper facere: quod & in accretione accideret. Tum quia idem haberet & non haberet qualitatem eam, ratione cuius alteratio fieret. Et cum præsertim de alteratione cortumpentè sit sermo, idem se ipsum corrumpere, cum tamen insitum cuique sit à natura conseruare seipsum. Adde etiam alterationes hæcè propterea semper fieri; vt agenti patiens euadat simile, spectatque ad actionem transeuntem, vt circa aliquid ab agente distinctum versetur.

Verum quod ad Aristotelem spectat; sæpè quidem ille negauit posse idem agere in seipsum, vt in 7. & 8. Physic. dum nihil probat mouere se ipsum; & in tex. 17. libri 5. Met. dum potestatem desinit, eamque vult esse principium agendi in aliud vt est aliud, & in tex. 17. & 18. 3. libri de anima, vbi hac ratione probat agentem intellectum à patiente diuersum, quoniam in omni natura aliquid esse oportet, quod agat, ab eo distinctum, quod patitur. In priore tamen libro de ortu atque interitu tex. 48. & 73. id apertius visus est negare, & in 3. Physic. ostendit se tantum iudicasse, non posse corporeum aliquid & quantum primo & per se agere in seipsum totum, vt ostendit maxime inductio illa in tex. 48. qua actionem probat non fieri ratione similitudinis, quia idem maxime ageret in seipsum, cum sit sibi ipsi maxime simile. Erat autem sermo de actione tantum Physica & cortumpente. Tum quia ex eo etiam colligit fore, vt idem corumpat se ipsum. Tum quia de huiusmodi actione & passione propria eo loco agebatur.

Cum igitur habeamus, non posse agens primo & per se actionis esse obiectum, superest videre, an possit saltem aliquid esse illi simile. Et cum substantia ex se non agat, minime queritur, an possit in aliquid agere, quod similem habeat substantiæ formam. Sed sermo est de qualitatibus similitudine, in quibus omnis actio versatur. Potest autem vna qualitas alteri similis esse, aut specie, aut gradu, aut agendi virtute. Speciei similitudo est omnium minima, graduumque ac virtutis dissimilitudinem habere potest. Qualitatis enim natura in impartibili consistit, gradus & agendi virtus latitudinem habent.

E Si sola speciei similitudo sit, fatentur omnes actionem esse posse: quoniam maior calor intendit minorem. Similitudo autem graduum maior quidem est, speciei que similitudinem supponit; absque tamen actricis virtutis similitudine esse potest. Rectè namque Philosophus in tex. 80. libri 8. Physic. in maiore magnitudine ostendit maiorem inesse virtutem, qua cum magnitudine crescit agendi virtus. Immo verò cum paucioribus gradibus maior potest esse virtus, si illi in multo maiori magnitudine accipiantur. Neque in candente ferro tot sunt caloris gradus, quot in paruo aliquo igne, & multo tamen maior agendi virtus. Etenim virtus essentiali ordinem ad

An sit
mille
agat in
simile.

actionem significat, actioque dicit formam, ut non solum ab agentis forma pendet, sed ab agente toto ut operatur. Operatur autem ut est actu existens, quantum, extensum, & cum alijs pluribus qualitatibus ac dispositionibus coniunctum. Quocirca non solum qualitatis gradus, sed diversa, quoque dispositiones adiuncte variare possunt, iuuare, aut impedire actionem agentive virtutem.

*Ut actio
variari
possit.*

Tribus autem potissimum modis id evenire potest. Primum ex maiore aut minore distantia patientis ab agente. Deinde ex maiore vel minore agentis quantitate. Postremo ex illius densitate aut raritate. Densitas enim plurimum actionem promouet. Tum quod in corporeo denso agentis partes sunt propinquiores, & vicissim, & patienti: quia sub minori extensione contentae: habentque virtutem magis unitam, & eam melius partes omnes in patientem exerunt. Tum quod cum densum sub extensione parua multas habeat materiae partes, maiorem etiam in pluribus partibus agendi vim continet ratum cum partes habeat & vicissim & a patiente magis distantes, parumque materiae sub extensione magna; multo minus ubique agit. Itaque si duo sint eiusdem molis agentia, sed sub maiori aut minori extensione; eorum alterum agendo alterum superabit: quodque minorem extensionem habet, non quidem maiorem qualitatem, sed citius atque expeditius producat. At si eadem sit extensio & diversa moles, vnumque altero densius; id, quod fuerit densius, tum citius aget, tum perfectiorem qualitatem producat. Igitur agendi ratio ac mensura non est simpliciter ex qualitatis specie illiusque intensione petenda: sed ex agendi virtute, quae aliunde & augeri potest & minui. Possuntque duo esse agentia qualitate similia & gradibus aequalia, actione tamen inaequalia: propter maiorem scilicet aut minorem densitatem, partiumque multitudinem cum maiori vel minori extensione. Possunt quoque esse duo gradibus & agendi virtute aequalia; si reliquae item conditiones & qualitates eodem modo se habeant. Possunt denum esse duo, quorum alterum pauciores habeat qualitatis gradus, & tamen magis agat; quod quantitatis partibus aliisque conditionibus magis superet, quam gradibus superetur.

Ex quibus consequens est, agentia ea, quae gradu similia sunt, non item agendi virtute, agere inter se posse. Quia cum actio inde oriatur, quod agendi virtus maior, quam resistentia, sit: & vnum, quod totidem habeat gradus, superari agendi virtute ab eo possit, quod densius sit, pluresue habeat partes: poterit hoc sane in illud agere, quod harum conditionum defectu minorem agendi ac resistendi vim habeat.

Quod si qualitate, gradibus, agendique virtute similia sunt; nullo modo possunt vicissim agere. Tum quia finis actionis omnino cessat, ubi patienti agenti penitus simile sit. Tum quia vnum quodque agit, ut est actu, patientique ut est potestate: haec autem aequae sunt, aut actu, aut potestate. Meritoque obijcitur in tex. 48. citato, nullam esse rationem, cur eorum vnum potius, quam alterum, aut agat, aut patiatur.

Proprium igitur actionis obiectum, nec enim ipsum agens, nec aliquid illi simile, ut est simile, sed ut dissimilitudinem aliquam & contrarietatem retinet: omnisque actio Physica inter primas solum qualitates, ut contrariae sunt, verlatum inter alias, non nisi ut cum illis permixtae sunt. Quoniam in illis prima est contrarietatis ratio, quae Physicae omnis actionis est radix.

Actione tamen reflexa & per antipensitalem fieri potest, ut quidpiam, tum in simile, tum in seipsum agat. Quod tum in calce videas, quae aqua infusa propter calidorum habituum reflexionem ad centrum calcis, contrario scilicet frigido adueniente, ita calefcit, ut aqua quoque feruet. Tum in peponibus; quia ad solis radios frigiditatem non solum quod tenuis halitus calidi ab externo calore extrahantur, minorque calor à matre consumatur, ut est in problemate 13. sect. 24. Sed etiam quod circumiectus calor efficit, ut illorum naturale frigus per reflexionem intendatur; vti eodem in loco Philosophus innuit, dum aliam similem quaestionem soluit. Tum in putealibus aquae quae hyeme calidae, aestate frigidae sunt. Tum in aquae guttis ex aëris media regione descendentibus. Quae propter caloris antipensitalem refrigerantur magis, atque in grandinem congelantur, ut in primo traditur Meteororum libro. Tum in alijs pluribus his similibus. Quamquam haec omnes actiones verè & proprie non videntur esse emittentem in seipsum per se, sed ratione partium. Habentur satis haec de re sit dictum, ut illud, quod de sensibus à Philosopho dicebatur, quoquo modo illustraretur ac planius euaderet.

DIGRESSIO XXIV. De Reactione.

Venio ad alterum caput, quod de actionis conditionibus fuit propositum. Ex duabus praecipue sunt, contactus & reactio. De contactu post suo loco, nunc de reactione, de qua in superioribus verbis Philosophus loquebatur. Sane cum actione necessario coniunctum esse videmus, ut dum agens agit in patientem, ab illo quoque patitur, dumque patientis patitur ab agente, immo etiam in illud agat. Apertaque sunt Aristoteles in 3. Phys. libro tex. 8. & 1. de ortu & interitu tex. 53. & 87. quem locum allegans in 4. libro de animalium procreatione cap. 3. habet haec verba. Omne agens patitur etiam à patiente: ut quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur, quod calefacit, refrigeratur à calefcente, denique quodcumque mouet, excepto primo, vicissim aliquo motu mouetur: verbi gratia quod pellitur quodammodo, & quod premit, repugnat. Interdum etiam ita, ut quod agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, calefcit, quod refrigerat: cum autem fecerit, aut minus, quam ipsum affectum esse. Quae verba libuit huic loco adscribere, quod praeter grauissimam Philosophi auctoritatem compositae eius sententiae sunt.